


Wolffher.

K. 623

K. 623 a





32

CLEOBULI  
LAUS MIDÆ,  
APPLICATA  
OCCASIONE CONIUNCTIONIS SIDERUM  
ANNI MDCCXXIII.  
AD RUINAS  
ASTROLOGIÆ IUDICIARIAE.

---

Magdeburgi d. IX. Februar. M. DCC. XXIV.



- 35
- |   |                            |                               |
|---|----------------------------|-------------------------------|
| 1) Cleobuli laus Midæ,  | 6) Arsbum & Christianorum. | 13) Argumenta eorum           |
| 2) Ejus umbram dari in scientiis<br>tum maxime in Astrologia. | 7) De doctrinis eorum      | 14) Refutantur ex s. literis, |
| 3) De siderum a. 17 23.                                       | 8) Circa hominem,          | 15) Autoritate Christianorum, |
| 4) De astrologia Chaldaeorum<br>& Ägyptiorum.                 | 9) Urbes & Respubl.        | 16) Veterum Philosophorum,    |
| 5) Græcorum & Romanorum,                                      | 10) Casus,                 | 17) Principum,                |
|   | 11) Religionem.            | 18) Ratione.                  |
|   | 12) De quibusdam.          | 19) Addenda.                  |

**I.** **S**uperioribus annis sapientes aliquot Græciæ salutavimus, eo consilio, ut inspecta eorum vita atque moribus occasionem captaremus variis de rebus libere differendi; restat CLEOBULUS Lindiorum tyranus, \* cuius judicium & studia, quamvis doctrinæ laude & ingenii sublimitate fuerit conspicuus, non possumus non aliqua ex parte improbare. Etenim cum Periandro sapientiū cohorti se intulit atque intrusit, licet nulla virtutis atque integritatis fama floreret; quodque gratia non poterat efficere, idipsum potentia atque officiis vim famæ facientibus ausus est impetrare. Demus igitur, egregia ejus circumferri dicta de virtutibus varioque officiorum genere: quis nescit, præclare multos loqui, eosdemque aliud promtum in lingua aliud clausum in pectore habere, falsumque ipsis exprimere moribus? Quid multa? si vera loquitur Laertius, Cleobulum publice insignem tribuisse LAUDEM MIDÆ, avarorum stultissimo: \*\*

**HOEN**  
**DER**  
**UNIVERS**  
**HALLE.**

Ænea sum virgo Midæ, que incumbo sepulcro,  
 Dum fluit unda levis, sublimis nascitur arbor,  
 Dum sol exoriens & splendida luna reluet,  
 Dum fluvii labuntur, irundant littora fluctus,  
 Hic constanter ago, lacrymisque in marmore tincto  
 Fixa, Midam moneo hic tumulatum, chare viator.

**II.** habuit profecto Simonides, cur hanc temeritatem vituperaret, ventosumque ipsum appellaret ac fatuum, quod tantas laudes in Midæ statuam tanto verborum strepitu congesserit, eumque coelo & terræ comparando suum NE QUID NIMIS ipse flocci fecerit.

Non est cur diutius immorer moribus Cleobuli. Id potius hoc loco innuo, umbram laudis Midæ pleraque mortalium studia comitari, adeo; ut per multi

§. I. \*) Cujus vitam vide ap. D. LAERTIVM & STANLEIVM. \*\*) Versus habet Laert.

multi in alia omnia cundo, minus necessaria, nimisque curiosa ac par-  
tim noxia sint amplexi, & limpidissimis sapientiae fontibus ingesserint  
foedissimas fordes maximosque errores. Hinc in religione supersticio, in  
officina ingenii Sophistæ, in virtutum palæstra Pelagii, in republica Machia-  
velli, in omni denique philosophia multi corruptores & sycophantæ er-  
roribus decantarunt laudes, posuere statuas, struxere aras & πυραιδεῖα.  
Atque ut reliqua raceamus, vel sola divinandi ars ejusque circulus \* de-  
monstrat, quam late radices egerit lolium iniqua hominum laude ac stu-  
dio. Inter omnes tamen sortes ac tam putida oracula caput extulit  
**ASTROLOGIA** & sideralis scientia, quam Apotelesmaticam vocant;  
ac tantam sui existimationem nacta est denunciatione futuri, quo curio-  
sissima laborat mortalitas, ut, dum stupidi ad ostenta & haruspicinam  
veluti furoris cæstro paciti recurrerent, sagaciores ad astra converte-  
rentur, ac nescio quid divini ipsi inesse existimarent. Quare magna  
confidentia per Asiam, Africam & Europam propagarunt astrorum co-  
gnitionem, eique statuam posuere, quasi Palladium aliquod humano  
generi religiose esset conservandum.

Non longe abierimus. Concurrerunt initio anni præterlapsi  
MDCCXXIII. sidera, \* quæ ante nostra tempora pavidis mortalium inen-  
tibus ingentem semper incusserunt metum. Quem licet hodierna phi-  
losophia maximam partem dissiparit; ne tamen cava ilex plane careret  
clamo

III.

§. II. a) Copiosum indicem exhibet PASCHIVS de invent. nov. ant. c. 7. §. 15. & FABRICIVS  
in Bibl. ant. c. 12. Apparet inde, quanta fertilitas sit *μανιούεια*, siquidem vel **LXXX**  
divinationis genera composita novimus cum nomine *μανιεῖα*, ut Chiromantia, Geomantia.

§. III \*) Scilicet hora VII vespertina, ix Jan. h. 24. & 27. visa in signo  $\rightarrow$  in  $\Delta$  igneo. Sed coe-  
lum, quod tum in nubes se inducerat, astrologorum votis minime fatis fecit. Anno 1663. 1683. &  
1702 in eodem  $\Delta$  apparuerunt 24. et 27. Igitur hi congressus sibi sunt per omnia similes, nisi quod  
hoc anno 27. comitem se iis adjunxit, vatesque monuit, ut tristiora predicerent. Inter alios  
J. G. JOB a. 1722 edidit METEOROLOGIAM QUADRIPARTITAM, in qua ostendit, *Hab-*  
*& declarari foedera* (pacem innuit Cameracensem, rem jam diu tracta-  
tam) *atrocias etiam portendi Anglia, Dania, Polonia, Prussia, Saxonie, Sla-*  
*vonia, atque Sardinie, que huic signo sint subiectæ, porro denunciari pe-*  
*stem bella, eluvionem & incendia, religioni quoque gravia monstrari.*

Hem oculatum vatem, qui divinationem suam rebus obviis accommodare novit, ut ii, qui  
a. 1631 visa & siderum dicebant, bellum tricennale continuatum iri, cum tamen vel lippi &  
tonsores belli nexum videre possent. Quidquid sit, cum toto cœlo errasse, vanumque excitasse  
timores ex parte docuit. add. 6. XII. mot. h.

clamosa cornice: inventi sunt, quod vix putabamus, Astrologiae admiratores, qui Europæ ex isto cœli & astrorum statu partim lœta, partim tristia significarent. Interim exiit ille annus, nec voluit Deus, ut profectæ a sideribus significationi responderet eventus. Miror igitur non solum superstitionem eorum sollicitudinem, verum etiam incredibilem audaciam, qua impulsi non erubescunt anilem & sœpius repudiatum horoscopum nobis obtrudere, & divina hæc prædicta ad Garamantes relegata revocare.

IV. Ista audacia & licentia jocularis statim cum antiquissimis imperiis cœpit caput exerere.<sup>a</sup> Sorteim enim futuram discere cupiunt, qui sorte sua non sunt contenti. Occasionem ita divinandi suppeditavit astrorum admiratio & superstitionis cultus,<sup>b</sup> atque inter omnes CHALDÆI siderum cursus & motus primi numeris sunt persecuti, locique natura & diurna observatione ingentem sibi famam compararunt<sup>c</sup>. Ex his arcana ista Berosus prodidit Græcis.<sup>d</sup> Nec minus AEGYPTII erant exercitatissimi astrorum interpretes, Chaldæis, si tempus spectes, a D. Siculo, Herodoto, A. Marcellino, Macrobio & Luciano prælati; quamquam his refragatur Vossius,<sup>e</sup> non verosimile esse arbitratus, artes ex Africa in Asiam manasse. De reliquo non dubium est totam Aegyptum délirasse in stellis, cum reges tributo (βλαχεννομιον vocat Suidas) hunc pruritum temperare necesse habuerint. Quantum autem ipsis debeat Genethliaci, totumque hoc genus conjecturale, ostendunt præ ceteris picta Manethonis astra, & Cl. Ptolemæi monumenta.<sup>f</sup>

V. GRÆCIA postquam a Berozo in insula Coo Chaldaicis rationibus fuit erudita: tota opinabilem hanc divinationem, auctore Clemente Alexandrino, scaturiebat jactabatque.<sup>g</sup> Probat id etiam index Astrologorum a Fabricio exhibitus, Camerarii astrologica, Hephaestionis monumenta, & Porphyrii, Procli, ac Demophili, qui Cl. Ptolomæum, Aegyptum fidus

§. IV. a) Sane Mosis tempore in usu jam fuisse constat, b) OWENUS in theologumenis L. III. & VOSSILIS de Jdol. gent. L. II. c) et inter hos Chasdim, STANLEIUS in Hist. Philosoph. Part. 13. Campos eorum patentes describit CICERO de divinat. L. I. Ridet autem simul Chaldaeorum & Aegyptiorum jactantiam de infinita artis antiquitate & CDMLXX, annis. Add. BODINUS de Republ. L. IV. c. 2. p. 931. d) FABRIC. bibl. Gr. L. III. c. 18. Non autem fuit Chaldaicæ artem vulgare, sed per manus tradebant liberis. e) De scient. Mathem. c. 30. f) FABRIC. Bibl. Gr. L. III. c. 20. Scriptis Manetho apotelesmatica tempore Ptolemæi Phil. Cl. Ptolomæus autem vixit imperante Antonino, ac confecit inter alia opus quadripartitum s. de judiciis astrorum. Memorat Fabricius etiam alios Aegyptios, inter quos Petofris apud Romanos v. JUVENAL. Sat. VI. & Paulus Alex. in prelio fuisse,

dus, mirabantur, commentarii.<sup>2</sup> Quid ROMANOS memorem? Horum quidem tanta erat curiositas, ut non solum vaticinantis Hetruriaz sordes maximi facerent; sed etiam astrologorum prædicta ad omnes actiones, ac plane ad scelera adhiberent.<sup>3</sup> Quinam fuerint nobilium mores tempore Valentis, indicat Marcellinus, qui nec in publicum prodeunt, ait, nec prandent, nec lavari arbitrantur se cautius posse, antequam ephemeride scrupulose sciscitata didicerint, ubi sit signum Mercurii, vel quantum canceri sideris partem polum discurrens obtineat luna.<sup>4</sup> Viguerunt igitur Romæ cum multis aliis Taruntius, Nigidius, Spurinna, Theogenes, Thrasyllus, Ptolemaeus, Barbillius, Ascleptario,<sup>5</sup> tam populo quam Cæsaribus ipsis accepti, atque inter varia fata firmas agebant radices, inter quos præcipue Manilius elegantissimo carmine ludens, ac Julius Firmicus cum ratione insaniens memorandi videntur.<sup>6</sup>

Cum septentrio, irruptione gentium facta, imperio Romano tristem ruinam ac interitum affret: futilis astrologorum ars in ARABIAM, ubi jam olim laus ejus, necessitudine cum Ägyptiis juncta, floruerat, exulatum abiit. Atque utinam ibi in fervidis arenis tabida exaruisset! Verum studiose conservata est ab Arabibus, Albusasare, Alfragano, Halyo, lateque propagata, ita ut etiam in HISPANIA tandem hæ spinæ revirescere cœperint. Tum longius progressa hæc chimæra GALLIAM atque ITALIAM contagione quadam corrupit, nec adeo GERMANIAM reliquit intactam. Ut enim Rogerius Baco, Guido Bonatus Forojuliensis, Petrus Aponensis, Arnoldus Villanovanus temporum barbarie sidera natalitia curiosius spectarunt:<sup>6</sup> ita renascentibus literis coryphaeos nausta est P. Alliacum antistitem Cameracensem, Campanellam, CARDANUM Mediol. L. Gauricum Neapol. Junctinum Florent. Jovium, Morinum gallum<sup>c</sup>; & Germanos Mullerum, Munzium, Schlusingerum, Heingarterum, Schönheinzium, Schonerum, STOEFLERUM, Milichium, Lindhutum, Herlicium, Ranzovium,<sup>d</sup> varia alioqui doctrinæ laude conspicuos, hoc ipso non tam repre-

g. V. 1) L. II Strom p. m. 359. Etiam LUCIANUS c. de astrol. memoria prodidit, populum nihil sine vate suscepisse. 2) FABRIC. Bibl. Gr. III. 20. & IV. 14. 3) JUVENALIS sat. VI. v. 355 sequ. 4) L. XXVIII. Histor. c. 9. 5) a SIETONIO, TACITO, D. CASSIO, XIPHI-LINO memorati. Ceterum sepius ejiciebantur urbe. Nemo Mathematicus genium iademas-  
sus habebit, ait Juvenalis sat. 6. v. 564. Verum harioli non facile exsirpari queunt, quia he-  
minum serviant libidini. 6) de quibus FABRIC. in Bibl. Lat. I. c. 18.

hendendos, quam dolendos, e quod ab astrologia cinno pedem non habuere liberum & expeditum. Fervebat itaque seculum XV. & XVI. hujus disciplinæ studio, siquidem plerique astrologorum ira incensi toti in eo erant, ut illam a PICO Mirandolano, summo viro, plane enervatam defenderent, novaque luce & laude collustrarent. Habes igitur statuarum honorem. Postea vero cœpit laus sideralis scientiæ marcescere, nec passa est dignior Philosophia, illam in orbe erudito triumphare, postquam Stoesceri & Cardani vaticinia manifesto suam prodiderant imbecillitatem & falsitatem.

VII. Tempus est, ut audacium hominum placita attingamus.<sup>1</sup> Sic enim illi disputant, qui Chaldaeorum prædicendi genus defendunt. Vitam nostram ajunt stellis tam vagis quam statim subjectam, earumque vario ac multiplici cursu genus humanum gubernari, sed ipsarum motus & effectus a sole temperari. Omnem autem vim se exerere dicunt in signifero orbe, quem Zodiacum vocant, ibique siderum accessu & recessu omnes fieri commutationes; multumque referre, an conjunctum illud & consentiens triangula & quadrata exhibeat, an oppositi sibi sint astrorum motus; his enim numeris & figuris cardinibusque attemperari siderum effectus. Esse vero occulta quidem sed mirabili natura. Saturni enim nocturni esse frigus, Iovis, Solis & Veneris prosperum fulgorem, Martis horribiles iras, Mercurii inconstantiam, Lunaque fluxum vigorem. Eandem esse rationem signorum Zodiaci. Proinde diligenter observant horoscopi dominans sidus, conspectumque in particulis signorum, unde Græcorum *μοιραι* s. fata sunt generata; 2 quoque effectus in physicis non plane negamus, eos quoque moribus hominum, mutationibus rerum publ. quin ipsi religioni audacter atque impie attribuunt. Multus est in his Firmicus, qui sideribus infinitam potestatem & plane decreta assingit. Mirum igitur non est, si ex stellis fortunam, fatum & fatalem necessitatem, Parcas s. *μοιραι*, Adrastiam, & quicquid est decreti, (pulchra nomina!) derivarunt, eaque nihil aliud esse,

§. VI. a) BOECLERUS in Bibl. Crit. c. 35. VOSSIUS de scient. Mathem. c. 35. b) VOSS. ib. c) VOSS. ib. BAELIUS in dict. d) REIMMANN. Hist. Lit. Germ. P. II. sect. 3. p. 257. seqq.  
e) Dolendi ergo etiam sunt Melanchthon, Camerarius, Peucerus, magna nomina, & forte plures hac labe infecti.

§. VII. 1) Confer de doctrina eorum CICERON. L. II. divin. CENSORIN. de die natal. c. 8. PEUCER. de divin. cap. de AstroL STURMUM de phil. Ecl. Exerc. 13. de siderum influxu. AGRIPPA de van. scient. c. 31. & imprimis nugas FIRMICI, astronom. L. II & III. 2) Inde MANIL. in

esse, quam siderum dispositionem & vim quandam coelestem somniarunt. 3  
Quod forte non fecissent, si originem peccatorum habuissent perspectam. Atque his monstris aut parcus ac timidius, aut inflatius delectantur, aut etiam sic laudant ea, prout Chaldaico morbo sunt correpti. 4

Quod enim ad hominis naturam attinet, omnis eorum doctrina eo valet, ut afferant, animum humanum & corpus siderum aspiratione afflari. Hac sententia freti, si de hominis nativitate sunt conjecturi, diligent consideratione adeunt cœli faciem & segmenta Zodiaci, omnesque angulos & stellarum beneficarum & maleficarum (sic loqui amant) positum sedulo scruntur, ut inveniant, non quod pueri in faba.<sup>a</sup> Hinc larga voce promittunt nunc salutem, divitias, & honores, nunc adversam fortunam, labores, damna & calamitatem indicant credulis. Porro mores, vitia, virtutes, desideria, odia & mentis perturbationes astrorum fulgore respici affirmant.<sup>b</sup> Hinc quo sidere regantur domini, servi, tyranni, rebelles, gladiatores, quo docti & illiterati, quo etiam scelesti acdamnati, longa serie Firmicus exposuit; atque ut eruditis satis ficeret, Oedipi, Paridis, Homeri, Demosthenis, Platonis, Pindari, Archimedis indolem, mores ac fata e cœlo petita descripsit.<sup>c</sup> Ac superiori quidem ærate, Junctinus, & quem mira prædictus garrulitate Flor. Remondus, Gallus sequitur,<sup>d</sup> Lutheri, Melanchthonis, Calvinii ingenia & circa religionem molimina non aliunde, quam exastris se cognovisse putarunt. Præcipue autem principum studia in se convertere solent Genethliaci. De Caesaribus Romanis testimoniūm perhibet Suctonius. Similia de quibusdam Impp. Græcis Nicetas.<sup>e</sup> Quid Rudolpho Habsb. quid Maximiliano I. item Friderico III. Neapol. Muhammedi II. Henrico IV. Galliæ regi prædixerint, quamque molesti fuerint Henrico II. Valesio, Bælius passim memorat.<sup>f</sup> Morinum vero Parisiensem philosophum a Ludovico XIII, Richelio, Christina Suecorum regina maximi habitum, idem tradit auctor<sup>g</sup>, ac non sine indignatione

VIII.

dodecater-  
tion

ad-

astronom. ab initio ait, sidera esse conscientia fati, diversos hominum variantia casus. 3) VOS-  
SIUS de Idol. gentil. L. II. c. 43. & 44. 4) Quare qui crasse ariolari nolunt, subtilius ca-  
men, ut Peucenus, vim siderum agnoscunt.

§. VIII. a) FIRMICUS in astronom L. II. tōrō. SPANHEIM dub. Evang. c. 33. b) FIRMI-  
CUS. II. 10. STURM, Phil. El. p. 622. c) L. VI. VII. Ita Remondus genituram Ciceronis,  
Erasmi, Bembi, Savonarolæ, Barbari, Panicarole tradit in hist. hæres. P. I. c. 5. §. 4. d) ib.,  
P. I. c. 5. c. 9. P. VII. c. 8. Quam fallaces fuerint oculi Junctini, Cardani, Remondi, indi-  
carunt Eberus & Malleolus. v. STURM, Phil. El. p. 660. BAILE dict. H. C. p. 1933. Mirum

addit, omnes tum principum aulas astrologiae morbo laborasse. Pari modo Cosmus Rogerius, atheus, omnibus in Gallia sidera explicavit natalitia, fretus gratia reginæ Cath. Mediceæ, mirum quantum astrologis deditæ. Corvinus & Wallensteinius Chaldaeos cupidissime sunt secuti. Poloni atque Hungari Herlicium, medicum Zizensem, in rebus dubiis frequenter consuluere. <sup>h</sup> In Italia Purpuratos ab astrologis vana spe suo tempore lactatos esse, commemorat Corn. a Lapide. <sup>i</sup> Astrologiam vero hodieque Persarum delicias esse, ipsorumq. reges nihil sine vatis (Minazim) monitu suscipere, Olearius memoriae prodidit. <sup>k</sup> O intolerabilem diligentiam! Longum est enarrare, quomodo conjugia, prælia, munera publica nutu stellarum sint suscepta; est enim ignava ratio, multæque fertilis ignominia. <sup>l</sup>

**IX.** Multo absurdius res haud animatas & cæmenta sideribus subjiciunt Astrologi. Ita mundi genituram aliqui descriperunt, diverse tamen. 1) Alii de clarissimis Graciæ & Italæ urbibus earumq; natura ex siderum positu judicarunt <sup>2)</sup> tanta quidem varietate, ut si Taruntium, Vettium Valentem, Cardanum, Gauricum, de Roma & Copoli vaticinantes audias, risum continere non possis. 3) Porro integras gentes suis contineri astris, Europamque & Asiam atque Africam a cœlo varie temperari, easdemque stellas regimen suum quandoque mutare, temere afferunt; 4) ac tandem mordicus eam tuentur opinionem, rerum publicarum florem, conversionem, seditiones & bella a siderum viribus & cœli affectione dependere, non ponderando, causam facilius in terris quam in cœlo sidereo reperiri. 5)

**X.** Nec melioris notæ est denunciatio calamitatum publicarum. Pestem enim

Pontificii vates in anno & die errant, in se convenienti. <sup>e)</sup> apud LIPSIUM in mœ. & exempl. polit., c. 5. p. 84. <sup>f)</sup> add. SPANHEIM. & BODINUS de republ. IV. 2. <sup>g)</sup> in vita Morini. Medicus erat, homo in prædictionibus versutus & lubricus, magna autem existimationis. <sup>h)</sup> BAILE p. 1547. <sup>i)</sup> apud SPANHEIM. 351. <sup>k)</sup> in itinerar. L. IV. 42. V. 28. Atque idipsum literæ publicæ a. 1723. confirmant, siquidem Persarum legatum Petru Russorum moderatori stellæ Merich, nefcio cuius, beneficia esse apprebatum accepimus. <sup>l)</sup> Ita Severus apud Sueton. in vita Aug. Drusillam duxit uxorem; ita Strozza apud Basiliū horas prælii observarit, non sine damno tamen. Quid? quod voluntariam subiit mortem Cardanus, ut prædicta de obitu ipsius non essent falsa. o absurdum Cardanum:

**§. IX.** 1) ut FIRMICUS L. III. PAULUS Alex. apud Fabricium in B. G. III. 10. Item LEOVICIUS & P. ALLIACUS. Dicant enim principium, anni si possunt? BODIN. de Rep. p. 522 529. 2) ut L. GAURICUS apud Voss. de scient. Math. 3) De Tarutio Plutarchus in Romuli vita & Cic. div. II. de aliis Fabricius, & Bodinus 525. s. Nam si astra Romæ inserviant mercaturam, cur facta est Mavortia & bellica? Cur Copoli non denunciarunt horrenda fata & damna a Turcis illata?

enim, incendia, eluvionem, principum obitum, & quæ sunt hujus generis, ab innoxiis astris significari iracunde statuunt. Ex his duo maxime occurunt, quibus genus humanum turbare soliti sunt astrologi; commenta nimuram de vastissima aquarum inundatione, & de interitu mundi. Si enim astra aut frequenter coiverunt, (ut anno MDXXIV.) aut elapsis DCCC annis, (quod bis post C. N. evenit) coniuncta apparuerent: ex templo his quasi portentis, quorum exempla infra deditus, mortales ubique locorum exagitarunt. Nonne hoc est Deum & naturam ludere? Quæ terrifica monstra uti a cœlo abesse voluit Deus, ita ejusmodi illusores publice coercendos putamus, ne insultent cervicibus hominum, integrasque gentes timore frangant.

Omnium vero stultissimum est, ipsius religionis fata ex statu cœli & astrorum conjectura investigare velle. Quid de natura, duratione & fine religionis Judaicæ, Græcorum, Romanorum, Christianæ ac Muhammedanæ, de Antichristo, de religione a Lutherò emendata nugatorie dixerint atque eructarint, Vossius & Buddeus memorant.<sup>a</sup> Multi eo impietatis sunt progressi, ut CHRISTI quoque mores, doctrinam & fata astris submittere non dubitarent.<sup>b</sup> Si soli erronei & veritatis divinæ hostes, Porphyrius, Manichæus, Albusafar Arabs & Judæus Bechai Christo propitia assignassent sidera, quæ eum reddiderint virum Phœbeum: esset hoc profanæ ipsorum menti tribuendum. Sed nec Christiani, Albertus M. Alliacus, & maxime omnium Cardanus cum defensore suo Morino erubuerunt eadē repetere vestigia. Proh! Deum immortalem, quid est tandem insanire, si hanc non vocaveris insaniam?

Ex his audaciae & temeritatis patet fastigium. Sequitur, ut de siderum conjunctione, horum malorum fonte, quædam afferam.<sup>a</sup> Dicunt scilicet astrologi, h & y necessario concurrere anno XX. XXX. & DCCC. Hic

b

qui

4) de his BODINUS l. c. Cardanus urbi incrementa ab Helice stella, Plato vero a concen-  
tu stellarum durationem repeatebat. 5) Fratereunt Astrologi Dei beneficia, pœnas, legum vi-  
olationem, injurias & virtus hominum.

S. XI. a) VOSSIUS de idol. gent. II. 48. BUDDEUS de Atheismo. p. 712. f. AGRIPPA c. 31.  
De Antichristo Arnoldus Hispanus cecinit, Lutheri doctrinam esse erroneam, sidera monstrare  
ajunt pontificii, Junctinus, Jovius, Remondus, in r. de org. & progr. hæref. I. 4. b) Quic-  
quid in his dici potuit, habet Cardanus, cuius nugas copiose recenset PAULUS de inven-  
tis novant. c. VII. p. 587. Refutatur hauc improbatatem J. A. SCHMIDLIUS, & J. P.  
MATERUS. Desestimatur Spanheimius, Vossius, Buddeus.

S. 12.

XI.

XII.

qui poterant, Sturmio motente, raritatem & egregium cursum mirari, cum auguribus ad prodigia recurrent, atque existimationis suæ immemores clamant, exaggerant ac turbant omnia, cœlumque & maria miscent. Qui si perpenderent, casus humanos non expectare, donec sidera conveniant, sed serius, citius orbem premere: non forte essent lingua factosi, nec sublestæ fidei prædicta disseminarent. Anno VI. ante C. N. h & 24 in signo ♈ visi sunt. Continuo astrologi religionem mutatum iri dixerunt. b) Anno LXXIV. majora sidera denuo apparuere; dictum est, gravia portendi Europæ, sed in Asia deleta est Solyma. Anno CCCXIV. eadem in ♉ sunt conjugata. Tum superstitionem a Constantino M. abolitam esse prædicant. Sequenti seculo redierunt in ♈; insecuram esse gentium migrationem, & nova regna condita. Seculo VIII. impetante Carolo M. maximus concursus fuit astrorum; denunciatum est, mundum interiturum. O intolerabilem dicendi licentiam! Huic Arnoldi Hispani adiungimus præcipitantiam, qui anno MCCCLX. Antichristi adventum instare, idque ex cœli facie se didicisse putavit, cuius tamen antiquam jam furorem in terris poterat rectius didicisse. Nam quod Abrahamus Judæus Messiam a. MCCCLXIV. venturum, Albusasr Arabs vero Christianæ religionis finem a. MCDLX. futurum, ex sideribus prædixerunt: tantum id quidem est, ut nec bruta lyram melius calleant. Anno MDXXIV. frequentia copulata sunt astra in ♉. Affirmavit Stöflerus, iridis oblitus, immensas aquarum fluxiones monstrari, totamque Europam ingenti perculit terrore. c) Anno MDXXXIV. cœlum, ut Caroli M. tempore, horibile visum maxima siderum conjunctione. Ingemiscabant Chaldæi, mundique finem & deflagrationem adesse dicebant. Expectarunt suspensi usque ad annum VI. & VIII. Delusit tandem corvos hiantes Saturnus. d) Igitur si rem ad amissim examines, nihil justo tempore, suoque, quo volunt, modo evenit, nihil cœlo respondit. Cinnus est. Ac plane ridiculum videtur, quod quisque pro sua secta explicavit prognostica; e) quod

§. XII. a) ex BODINO de rep. IV. 2. VOSSIO de Idol. II. 48. b) PASCH: de Invent. p. 590.  
Dicant vero astrologi, cur ista sidera non in — arserint, quam religioni præesse ajunt?  
c) Dixerat Stöflerus vel XX. Sidera conjunctim hoc malum declarare. Timuit igitur Gallia, Hispania, Dania, timuere Christiernus II. & forte Carolus V. & quamvis prudentiores contrarium ostendendo solatia darent, ubique tamen navigia parabantur. Adveniebat igitur fatalis Februarius, mortem multi anxie expectabant. Quid ergo? Nihil evenit, siccus & placidus fuit aer. Bayle in v. Stöflerus. Quod cum videret Cardanus, contrarium dixit innui,

quod multa in rebus publ. maximaque evenerunt, ubi tacuere astrologi.<sup>f</sup> Certe alia omnia dixerit seculo superiori. Coivere enim sidera majora a. III. XXIII. LXIII. LXXXIII. His intervallis si compares foedera a. IX. X. initia belli tricennalis, pacem Westhalicam, primordia motuum Hungaricorum, triumque bellorum Gallicorum: dissimile totum esse intelliges. Nam ne bellum quidem Hispanicum astrorum, ut putabatur, iras a. MDCCIII. expectavit. Anno MDCCXXIII. vero plane decepti sunt vates a cœlestibus signis.<sup>g</sup>

Sed ne magno conatu nugas agere & se fatigando frustra niti videantur astrologi: multis rationum pigmentis artem suam ornant poliuntque. Provocant enim ad oracula s. ad cœli signa, ejusque & terræ amicam conspirationem, ad vires cœlestes & astra Sissarae; provocant ad Adamum, Sethum, Abrahamum aliasque disciplinæ suæ coryphæos; provocant denique ad experientiam, ad prædictiones Nigidii, Thrasylli, aliorum, de qua re, ne hic prolixus sim, plura ex ore ipsorum referunt Spanheimius & Sturmius.<sup>1</sup> Digito igitur monstrari posse pulcherrimum hoc studium, nec de veritate rei esse dubitandum.<sup>2</sup> Verum enim vero, qui signa temporum & tempestatum minime negamus, nec Astronomiam contemnimus, reliquum tamen conjectandi genus plane respuimus. Nam & Sis-

XIII

Gen. I. H.  
Luc. X.  
Jed. V.

b 2

sa.

semper serenitatem. O astrologorum lubricum genus! Simile mendacium Jo. Davidis Tolet de a. 1329. profert Magirus in Polymn. V. Genethliaci. d) BA'LE in diét. p. 2799 narrat quomodo se torlerint Astrologi & alios. Tandem ne nihil dixisse viderentur, insurgit 1588. Regiomontanus minacibus his versibus

Si non hoc anno torus male concider orbis,  
Si non in nihilum terra fretumque ruat:  
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atque deorsum  
Imperia, & luctus undique grandis erit.

Quæ omnia dies indicavit falsa faisse & inaniam. Ceterum superioribus annis de *interitu mundi* scipio repetita est cantilena, scilicet a. 1604. 1656. 1666. 1700 & 1734. Hic nondum, quod astrologi IV. Zodiaci partes aut trigonos statuant *igneum*, *aerium*, *aqueum*, & *terreum*. In singulis decies conjungi sidera spacio CC. annorum, donec post 800. annos ad priora revolvantur. Idque septies factum ait Keplerus, quod *Astrodius* in Chronol. explicat, rur nescio quos eventus non sine risu aliorum narrat. Nunc vero sidera *igneum* permeare ajunt ab a. 1603. in quo certissime finis mundi sit expectandus. O ineptias! ej) ut Judæi, Turcae, Pontifici. f) e. g. de laniera Parisiensi, de Vesperis siculis, de inventa America, aliis. g) experientia testatur. Cameraci ad huc aqua harer. Tax nondum confecta. Regiomontibus §. III. commemoratis nihil mali, (Deo fit laus!) evenit. Festis non fecuta, sed ante coniunctionem est graffata. Cur autem de obitu principum, Florentini, Colon. & Aurel. nihil vidit IOBUP? Cur non de motibus Persicis & bello orientis quid dixit?

pugna. idem est. saram fulgura cœli & nimbus inopinatus in fugam dedere ; 3 nec Adamus, Sethus & Abrahamus fese Astrologiæ sordibus macularunt. 4 Si autem Valesius recte negavit, astrologiam aliquo niti fundamento, 5 Ciceroque jam suo tempore quotidie Chaldæos refelli vidit : 6 quomodo prædictio-nes ipsorum possunt esse certæ ? Cur mirificam in latebram se conjici-unt ? 7 Cur captiones nunquam explicant ? Dicendum potius est , pla-cita & inventa ipsorum 8 cognita esse lubrica & otiosa, adeoque totum abacum cœlestem , figuræ Chaldaicas & descriptionem cœli esse rem ineptam , ac dementiae impietasque plenam ; 9 atque utut Firmicus re-clamet, 10 astrologosque jubeat esse sapientes , religiosos, moderatos atque idoneos cœli interpres , tamen eos hac in re haberi pro variis, & ineptis & Midæ præconibus.

XIV. Superest igitur, ut frivolam atque ventosam esse hanc artem, Christia-noque indignam statuamus. \* Etenim si Dei spectamus iussa: quid gravi-us est hac voce : Nolite timere sidera cœli, quæ gentes timent impia. \*\* Nonne ipse rejicit & contemtui risuique habet Aretalogos Arabes & Ba-bylonios ? \*\*\* Quare cum ille solus astra norit,\* sideralis vero scientia providentiam Dei minuat : non ad lumina cœli, sed ad conditorem lu-minum , ut Jacobus suasit, \*\* est confugiendum , & ab ipso vita no-stræ discrimina expectanda.

XV. Repudiavit eam sancta & veneranda antiquitas. Primi enim doctores Christiani, quos ob reverentiam patres vocamus, videbant Græcorum ineptam in his diligentiam ; videbant Romanorum sordes , earumque cum foeda superstitione nexum ; hinc uno ore detestabantur ista mon-stra & flagitia. Præ ceteris Chrysostomus, si in genesi, air, & contagione cœlesti vitium est: nihil valet pietas, nihil virtus, nihil Deus. <sup>a</sup> Augusti-nus graviter accusat astrologorum Martem, Venerem, Saturnum, & hinc orta turpissima mendacia. Taceo reliquos. <sup>b</sup> Pia horum vestigia post

pro-

§. XIII. 1) SPANH dub. Evang. c. 33. STURM. philos. Ecl. de siderum influxu , qui eorum ar-gumenta ex literis s. & ratione refutarunt. 2) PEUCLER. divin p. 398. l. 3) FESSEL. in facr. observ. III. 6. SPANH p. 352. 4) Sit ita, eos fuisse astronomos : recte tamen dici, raus, circulum hodiernæ eruditio[n]is non esse ad prima tempora referendum, BLIDDEUS in hist. Ecl. V. T. p. 95. & 400. 5) apud SPANH, 349. 6) L. II. div. 7) Ut Cardanus & Morinus. 8) Quomodo inventa sit astrologia judiciaria, MACROBIUS tradit in somn. Scip. c. 21. 9) Ita VÖSSIUS de scient. Math. c. 38. & Idol. II. 48. 10) Astron. II. 33.  
§. XIV \* ) agnoscent Christiani unum solem, unam stellam, reliqua non curant. \*\*) Ierem. x. 2. \*\*\*) Deut. XVIII. Iesa, XLIV. 25. XLVII. 13. \*) Ps. 147. 4. Esa. XL 26. \*\*) c. I. 13.

profligatam barbariem semper secuti sunt prudentiores Christiani. Nam cum Rogerius Baco astrologorum resuscitaret impietatem: multi duce Gersone se iis opposuere <sup>c</sup> Petri Alliaci, viri alioqui magni nominis ruinas de diluvio Noachico, de nativitate Christi indignissime tulerunt eruditii. Stöfli autem turbulentissima vaticinia moderatus est P. Martyr, oppresserunt A. Niphus & Paulus Middelburgius, ac principum populorumque temperarunt suspiria. Simili modo Herlicii & aliorum praedicta de fine regni Turcici superiori seculo sunt explosa. <sup>d</sup> Quid Lutherum & Calvinum memorem? <sup>e</sup> Quid risus Erythræi, <sup>f</sup> monita Abd. Treu, & Sturmii Spanheimiique tela proferam? <sup>g</sup> Tanti quidem omnia sunt, ut non videam quomodo ab his Chimæram suam defendere possint arioli. Denique isti duumviri, PICUS Mirandolanus & P. GASSENDUS tanta virtute hanc hydram sunt agressi, ut ne hiscere quidem porro audeant astrologi. <sup>b</sup> Adeo nunquam erekto vel Theologus vel Philosophus extitit, quin canoras eorum nugas serio damnarit. <sup>i</sup>

Quid? quod & Philosophi a vera religione alieni negarunt in sideribus insignitas esse rerum futurorum notas. Riserunt Chaldaeos Eudoxus, Archelaus, Cassander, Scylax, Panætius.<sup>1</sup> Cicero eorum fabulas ad anniculas pertinere existimat. Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax astrologos vocat Tacitus.<sup>2</sup> Varro quoque ex siderum cultu omnia superstitionis genera fluxisse dixit, ut mirum non sit, totam rem inventam esse fallaciis aut ad quæstum, aut superstitionem & errorem. Quid vero S. Empirico, quid Favorino<sup>3</sup> respondere potuerint, non video. Rebus ita habentibus honestiores viri astrologorum commercium stanquam stellionum<sup>4</sup> & maleficorum fugiebant.<sup>4</sup>

Sed ne quid deeset ad astrologorum insaniam reprimendam: legibus publicis interdictus fuit hujus artis usus, quoniam cognitum erat, luxu-

b 3

XVI.

XVI.

<sup>a</sup> XV. 2) In orat. <sup>f</sup>, de fato. b) de quibus VOSSIUS in sc. Math. c. 38. 4) FABRIC, bibl. Gr. L. IV 20 p. 516. c) BATTLE in vita ejus, qui & de Alliaco & Stöfli. d) v. IAC. THOMASII orat. pro pace Turcica. f) de Luthero excerpta quædam tradit REIMMAN in hist. lit. Germ. Part II. S. 3. p. 370. f. Etiam Calvinus contra astrologos scripsit. f) in epist. XII. L. IV. g) STURM, in phil. Ecl. de siderum influxu, ubi & Abdæ Treu mentionem facit, Spanheimius vero graviter refutavit astrologos in Dub. Evang. c. 33. h) Ita de his duobus judicant AGRIPPA de Van. sc. c. 31. Et BOECLERUS in bibl. Crit. c. 35. i) Plures vide ap. Boeclerum & Reimmannum loris cit. & Vossium de scient. Math. c. 35. Maxime eos persequitur Agrippa 31. de Van. & adeo ipse Cardanus acerrimus defensor dammat in arcanis politicis. 692. §. XVI. 1) Cic. II. div. 2) L. I. hist. 22. 3) apud GELLIUM L. XIV. 1. 4) Testatur versus poeta apud Cic. L. I. divin. in fine.

riam morumque turpitudinem cum hac quoque arctissimo vinculo copulatam ali atque augeri. De tributo astrologorum supra dixi. Romani imperatores Augustus, Tiberius, Claudius, Vitellius, Domitianus, \* Honorius, Theodosius eos maleficorum numero habitos gravissima pœna affecerunt, librisque eorum combustis finibus illos ejerere.<sup>b</sup> Damna runt hos quoque Christiani in conciliis.<sup>c</sup> De reliquo mos erat primorum Christianorum, ut, qui veram susciperent religionem, libros curiosos, (*περιεγγύας* vocat Lucas, cuius partem fuisse astrologiam dicit Spanheimius,) tanquam execrandos longe a se amoverent.

XVIII. Denique si rationibus etiam pugnandum est; non appareat, quibus præsidii tuti vincere possint.<sup>i</sup> Demonstrent oculatissimi scilicet viri petitoribus physicis, cum annuam tempestatem variumque per orbem aërem, eodem astrorum positu, certo prospicere nequeant semper, qua observatione notarint, sidera hominum negotia regere ac gubernare? Designent locum, ubi cujusque astri occulta, quam statuunt, indoles, robur ac decrementum possit dignosci? Quid valeat in suis, ut ajunt, domiciliis, quod non in suis possint orbibus? Explicant sine fuso non esse arbitriam nec anilem zodiaci partitionem, sed naturalem, ita, ut prima ingenium, altera divitias, decima honores, alia pars casus clarissime indicet? Cui demum sidera adeunti sit fidendum, cum ipsi dissident variis sententiis, aliasque aliam amplectatur tabulam? cum ipsa astra jam pridem veteri migrarint loco? Nec omnes stellæ errantes semper fuerint cognitæ? Quod si astra occulto modo causæ sunt rerum humanarum: definit, quæso, accurate modum contagionis cœlestis, ut non fallaci sensu percipiamus prosperum Iovis fulgorem Martisque horrorem; (quoniam ita sunt causa, ut Aetna incendi, si Holmiæ aut Londini fuit, aut puteus Pherecydis terræ ruina sublapsæ. Nisi forte numina quædam astris præsidere, vimque terris ingenerare putant, quod vero est superstitionem veterum recōquere.) Si signa: planum faciant, quomodo Cardano ea ferentiam exhibuerint, quæ Stöflero a quarum fluxus? Quæ in pace Westphalica fuerint inimica Pontificiis,

I. div.

§.i XVII. a) Quoniam ipsi occulte astrologos consulebant, Saulum imitati, qui sagas, quas expulerat, adibat pessime. b) leges contra Mathematicos latas concessit SPANHEIMIUS in dub. Evang. c. 33. c) BUDDEUS de Atheism. p. 738.

§. XVIII. 1) Conf. SPANHEIM, Dub. Evang. 33. VOSSIUS de sc. Math. 38. de Idol. II. 48. BUDDEUS de Ath. 716. STURM Phil. Eccl. c. 13. & quos §. XV, & XVI, mominavi.

propitia Lutheranis ? Si experientia nituntur : postulat Sturmius , ut vel tria exempla per omnia secula monstrant , ubi quadrarint prognostica , & ab omni astutia & mendacio fuerint libera . Cumque motus siderum oculis videatur tardior , re ipsa sit velocissimus : ostendant temporis punctum , non solum nativitatis , sed & primi ortus pueri , & ex eodem momento diversitatem gemellorum , Iacobi , Esavi ; dicant , num Sodomitæ , pueri Bethlemitici , qui que diverso loco & cœlo nati uno tempore obierunt in pugna , expugnatione urbium , mari , incendiis , terra motu , potuerint ab uno eodemque sidere ad fatum designari ? Doceant porro philosophos , quis rerum publicarum , quis fortuitarum , et in casu positarum & singularium cum astris sit nexus ? Quomodo arbitrium , voluntas & spiritus hominum a stellis corporeis impellatur , agitur , constringatur ? Sique id fiat , annon homines , λογισμοί , ut Favorinus ait , evadant ridenda neurospasta ? libidines , vitia , securitas , vanaque spes stabiliantur , virtutes infrigantur , leges atque ordo omnis evertatur , posita fatali necessitate & aspiratione astrorum ? Respondeant Theologis , qui a superstitione hanc artem fluxisse , qui religionem facto & decretis turbari , Dei libertatem & regimen tolli , eumque , quod sidera condiderit , ad vitiorum societatem trahi queruntur ; qui adeo experientiam ipsorum explodentes existimant , multos non cum cœlo sed cum orco & Plutone habuisse commercium , nec vates sed magicæ artis peritos fuisse Thrasyllos aut Spurinnas . Ita demum omnia explicit , ut se omni simul liberent accusatione turpitudinis . Clamat enim Mathematici , eos nescire cœlum ; narrant historici , eos mendacia & turbas ferere , raro autem vera dicere ; vociferantur poetæ , hos nugis suis quæstum & cibum a credulis captare ; convincunt philosophi ipsos injuriæ Deo & hominibus factæ ; accusant tandem eos Theologi impietatis & superstitionis . Si victos se sentiunt , taceant , & non hominibus porro , sed ranunculis & culicibus nascendi fata exponant . Ego v . Gellius XIV monitus Leonidæ versu :

*Patrum sidereo quisquis scrutare mentus ,  
Dispereas mendax non nisi vana sonas .  
Obstetrica tibi stultitia est , audacia mater ,  
O miser , & proprii non bene gnare probri .*

non possum , quin denuo dicam astrologos delirare , pro causa desperata  
pugnare , & stultitiae statuas ponere deridendas , Christi-

Christiani igitur est splendida ista mendacia fugere, ac pro certo habere, quod astra nec præparent, nec inclinent, nec urgeant rerum humanarum vicissitudinem, neque mores hominum inflectant. Coronidis loco addam aliqua, ad sidera pertinentia. Pia sunt, quæ I. A. Fabricius<sup>a</sup> de templo Salomonis ad totius cœli exemplar expressi scripsit. Utinam hæc & similia intuerentur astrologi & sine superstitione *Erectos ferrent ad sidera vultus!*

Verum piæ meditationis hostes artem suam, Harpyarum instar, contactu immundo tam multa patiuntur fœdere. Nonne enim sidera præfecere membris hominum,<sup>b</sup> facultatibus animi,<sup>c</sup> chordis musicis,<sup>d</sup> diebus & eorum discrimini,<sup>e</sup> Geomantia & Chiromantia?<sup>f</sup> Nonne invenerunt rem publicam astrorum,<sup>f</sup> & astrologiæ concordiam cum historia, medicina & theologia?<sup>g</sup> Quid dicam Talismanes, amulera, nummos magicos, statuas similesque figuræ, quas virtuti astrorum respondere, miroque effectu gaude-re ajunt?<sup>h</sup> Taceo alia superstitionis genera ac doctrinas, quæ ex siderum profluxerunt cultu, a veteribus Christianis jam dudum damnata. De reliquo ut Carthesiana philosophia huic arti plane est adversa: *Vita vir prudens histrum & crepitaculum astrologorum ridet, & Midæ auribus ut dedecoris notam adjungit.*

### ACTUS ORATORIUS

d. XI. Febr. h. IX.

habebitur publice a nonnullis bonarum artium & eloquentiæ cultori-bus. Scilicet I. CAROLUS OTTO ab HUSS, Magd: proponet. *Parerga semper maximi esse habita.* L II. CHRIST. ERDM. VVILDA VVeferl. Halberstad. expendet Lutheri effatum: *Astrologiam non pertinere ad artes liberales.* G III. IO. STEPH. GERMERSHAUSEN, Magd. questionem explicabit: *An licet sidera adire natalitia?* C. G. IV. IO. DAN. de LENTKEN, Magd. de *eccliphis & Cometarum novo effectu* loquetur. L V. HENR. DIERKES, Magd. de *charactere superstitionis* sermonem faciet, G. VI. WILH. HENR. BANDOU, Lederb, Magd. de *fatuo fato* dicturus agmen claudet, L. Quos u[er]o benevole audire velint Mæcenates omnesque mansuetiorum musarum autores, ea, qua pars est, observantia rogat

SAMUEL WALther, Gymn. Magd. Conr.

§. XIV. a) in bibl. græc. L. IV. p. 456. b) VOSS. Idol. p. m. 567. c) VOSS. de scient. Math. c. 20. d) hinc dies fauti & insuffi, ab Augustino rejecti, v. HENNIN. in Juvenal. p. 922, & BUDD. de Ath. 752. e) De Geomantia BUDD ib. p. 763 & PASCHIUS De Chiromantia VOSS. de Idol. I. II. c. 47. f) VOSS. ib. p. 567. g) De tali concordia cum Theologia & Historia scriptis Alliacus, Junctinus & alii idem sensere. Medicinam vero Ägyptii cum astrologia conjunxere. h) BUDD. de ath. p. 736. & PASCH. de invent. p. 39; l) BUDD. ib. p. 746.





Pd 445Z

ULB Halle  
004 514 017

3




f

no



B.I.G.



32.  
CLEOBULI  
LAUS MIDÆ,  
APPLICATA  
OCCASIONE CONIUNCTIONIS SIDERUM  
ANNI MDCCXXIII.  
AD RUINAS  
ASTROLOGIAE IUDICIARIAE.

---

Magdeburgi d. IX. Februar. M. DCC. XXIV.

